OLAI
A.
SIL.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

H. XIII. 9

Liber
Novo-Tacin-
937/II

Henrici Nicolai.

1. Gymnasium Logicum repetitum
2. Exercitatio de Cognitione humana universa.
3. Tr. de Esse alicubi seu Ubicatate.
4. Pro methodo Trinitatis aliisq materiis Apologia.
5. Quadrigatus expensus seu Consideratio quadrigae quaestionum de Syncretismo nonneminis Wittebergae emissa.
6. Exercitatio de Prudentia Theologica.
7. Exerc. de Obedientia tam Civili quam Spirituali.

Add. 2

D. O. M. A.

Gymnasii Logici repetiti

DIATRIBE I.

DE

NATURA

ET CONSTITUTIONE LOGICES.

Disputationis loco

Ad sententiarum collationem

in Gymnasio Dantiscano

Proposita

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Philosophiæ Professore

Publico.

Respondentis vices obtinente

MARTINO RADICIO

Tapiensi Borusso.

Ad diem 13. Octobris. S. N.

In Auditorio Philosophico

Horis ab octavâ matutinis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,

ANNO cIɔ. Iɔc. XXXVIII.

Gymnasii Logici repetiti
DIATRIBE I.
De natura Logices.
THES. I.

ANaxogoras olim hominem censuit animal sapientissimum, quòd manus haberet; *Vt notat Philosophus* l. 4. d. par. anim. c. 10. & Saltzhuberus in ref. Ramosoph. p. 15. *Quod invertens Philosophus* c. l. *non absurdè Naturā ideò, quia hominem animal prudentissimum voluerit, commodissimè ei manus suppeditavisse ait, ut instrumentum instrumentorum, cujus usu vice plurium armorum uti posset. Nam & pro cornu, & hastâ, & ense est, ut quæ manu omnia sumi, & teneri, & vibrari commodissimè possunt. Animi opes, & quæ in eo, spectando, non immeritò dicemus, quia hominem animal sapientissimum Natura voluerit, idcircò eum* Logico lumine, *organo illo ὀργάνων*, & manu Philosophiæ *instruxisse, cujus beneficio in pluribus ratiocinādi operationibus uti possit. Et à posteriori non absurdè prudentissimus Philosophorum haberi debeat, qui hac manu instructus, aptissimè usibus eam admovere didicerit.*

2. *Cujus naturam ordinarijs quibusdam discussionibus percursuri præsentem de Naturâ ejus diatriben commodè in* præcognitionem & cognitionem *dispescimus.*

3. Præcognitio *triplex erit. An detur Logica distincta à cæteris disciplinis? Vbi nam detur? Et quo ordine inter disciplinas tractanda veniat?*

4. Quà primum: *Logicam dari patet* 1. argumento artificiali *ab objecto materiali & formali distincto: Datur objectum materiale & formale, distinctum ab objectis cæterarum disciplinarum realium & instrumentaliū. Vt materiale, omne Ens, de quo ratiocinari quis potest: Formale, ut Logicis, i.e. ad ratioci-*

tiocinandum directis, notionibus informari potest: sive in simplici apprehensione, s. compositione, s. argumentatione. At hæ notiones sunt distinctæ à primis, quæ in realibus disciplinis occurrunt: & secundis, quæ in cæteris disciplinis instrumentalibus, ut notionibus Rhetoricis, Grammaticis, Poëticis, Oratorijs, &c. E. & Logica est distincta à disciplinis realibus & instrumentalibus. 2. Inartificiali: *Testimonio Logicorum omnium cõmunissimo: Quod tanto numero edita Logicorum scripta confirmant, ut jam suo tempore etiam per duplicatam ætatem negaverit omnia tùm Logicorum, tùm Lyricorum scripta à se perlegi posse Cicero. Vt notat quidam in* Epilog. dialect. Vallæ.

5. Quâ secundum: *Logica datur in re, non ratione, i.e. est ens reale, non rationis: Est enim habitus de specie qualitatis, animum hominis notionaliter & instrumentaliter informans.* V. t. 10. Quâ tertium: *Logica docenda est* 1. Inter *disciplinas notionales & instrumentales, non principales & reales: Objectũ enim ejus formale est notio secunda, non prima: Vid. t. 23. Modus tractandi notionalis, non realis: & finis instrumentalis, ad benè ratiocinandũ directio, non principalis, i.e. realis cujusdam objecti explicatio.* 2. Post *Grammaticam, sermonẽ enim Latinum, ut communiter hodiè docetur, prærequirit in conferendo animi sensa:* ante *Rhetoricam, Metaphysicam & reales disciplinas & superiores facultates. Nam Rhetoricæ cõplures terminos offert, qui citra Logicam intelligi non possunt. Vt genus, speciem, individuum, propriũ, accidens, subjectũ. &c. Co.* Keckerman. l. 1. Rhet. c. 2. l. 2. c 2. Alsted. l. 3. Ency. c. 2. §. 8. 12. *Realibus disciplinis & facultatibus instrumenta sufficit, quibus benè ratiocinando veritatem in suis materijs eruere possint. Quod accuratè & ordinatè citra Logicam hodiè facere non poterunt. Et ita commune instrumentum, quo õn. disciplinæ ad suas definitiones, ratiocinationes, conficiendas utun-*

utuntur, ipsis disciplinis est præmittendum. Con. Sa.d. Lub. q. 1. proë. Log.

6. *Fuit* præcognitio: Cognitio *est duplex: Nominalis & realis.*

7. Nominalis 1. in homonymiâ. *Logica notat* 1. Latissimè *omnem habitum rationem vel orationem dirigentem. Ita Stoici Philosophiam in Physicen, Ethicen & Logicen dividebant. Sub Logicâ comprehendentes & habitũ ratiocinandi, & artes sermocinandi, ut Rhetoricam, Grammaticam. &c.* 2. Latè, *pro naturali ratiocinandi facultate; Ita vulgò Logicã aliquam naturalem, & rusticos Logicâ naturali argumentari posse dicimus.* 3. Strictissimè, vel *pro Metaphysicâ, quomodo* Plato 7. d. Rep. *Dialecticam velut coronam omnibus disciplinis supernè impositam dixit, & Zeno solum Dialecticum sapientem censuit, & Alcinous Dialect. Mathematicis superiorẽ & in entibus æternis versari asseruit, apud* Barthol. jan. d. N. L. n. 9. Goclen. p. 1. prob. 1. Vel *pro solâ Topicâ, quam usitatè Dialecticam Peripatetici vocant hodie: quomodo Aristot.* προτάσεις λογικὰς *dixit problemata Topica.* 1. Top. c. 12. & λογικὸν πρόβλημα 5. Top. c. 1. *problema Dialecticum.* 4. Pro *systemate præceptorum Logicorum ordinatè conscripto. Ita Logicam Aristotelis, Philippi, &c. dicimus.* 5. Pro *usu & praxi Logicâ, quam vulgò Logicam utentem dicunt.* 6. Strictè *pro habitu benè ratiocinandi artificiali. Sic hic sumitur.* 2. In Etymologiâ. *Hæc* Logica *nulla est, est enim vox Log. ut hic sumitur, abstracta, notans ultimam formam, quæ aliis denominationem dat:* Grammatica *est à voce* λόγος, *quæ hic rationẽ notat primò, directè & proximè. Ejus enim operationes dirigit Logica: Secundariò, indirectè, per accidens, & remotè Orationem, quam per acc. dirigit Log. quà rationis operationes oratione proferuntur. Huc pertinent ea quæ habet* Hipp. qu. Lo. 5.

Ita omnes disciplinæ sunt Orationis, quatenus earum præcepta Oratione proponuntur. Secus ei non accidit opera exterior. Sed intus, secum, in seipso, pro sese, potest homo facere Syllogismum. Scali. ex. 307. f. 23. Historica *est, quâ quæritur, quis primus Author Nominis? Et is Aristoteles, ut vulgo putatur est, cum ante ejus tempora magnam partem Dialectica appellaretur.* V. Vallã l. 3. Dia. c. 1. 3. In Synonymiâ: *Dicitur etiam Dialectica hodiè Rameis. Quam vocem Logicæ esse æquipollentem pertinacissimè quidã Peripateticorũ negant*, Reg. l. 1. q. 1. Lo. Zabar. l. 1. d. N. L. c. 9. & Carpentari⁹ *eam significationem Aristoteli usurpatam esse negat, apud* Goclen. p. 1. q. 1. Log. *Dantur tamen quædam loca, in quibus & hujus significationis vestigium,* Ut l. 1. Elench. c. 2. & 1. Rhet. 1. 2. 2. Rhet. 22. 23. *Quicquid hic regerat Carpentarius c. l. Epicuro Logice dicta Canonice, voce appositâ omninò, ap.* Keck. tr. 2. c. 2. præc. Log. nu. 13. *Aristoteli Organum. Periphrasticè dicitur ars, Cynosura, oculus rationis, manus Philosophiæ, organon organων. Platoni vallum Philosophiæ ap.* Barthol. c. 1. n. 8. *Insigne Dei donum hominibus concessum; Zenoni norma veritatis indicatrix ap.* Timpl. l. 1. Lo. c. 1. q. 5. *Poëticè ignis Promethei, & quæ similia esse possunt.* V. Polanum præfat. Log.

8. *Fuit* Nominalis *cognitio:* Realis *potest esse quadruplex: Definitiva, divisiva, objectiva, & affectiva.*

9. Definitio *sit:* Logica est habitus intellectus instrumentalis benè ratiocinando verum in omni ratiocinabili assequendi.

10. *In quâ definitione videndus conceptus* latior *&* strictior. *Latior est* genus. *Quod ponitur, habitus mentis instrumentalis. Dicitur* 1. Habitus, *id est, firma qualitas facilitans subjectum ad operandum. At tale quid est Logica: Quam si quis firmè imbiberit, facilè se in omni rationali operatione expedierit.*

rit, ut experientia docet. Atq́ ita hoc genus Logica assignârunt ex Veteribus Græci apud Zabar. l. 1. d. N. L. c. 10. Alexander, Simplicius, Averroës, Thomas, Albertus, Ægidius, Zimara, ap. Smiglecium d. 2. Log. q. 5. *Ex Neotericis* Zabar. c. l. & l. 4. meth. c. 6. *Cl. J. Martini, Regius, Bartholinus, Hippius, Nihusius, Gutkius, Bertius, Wegerus, Scharfius, Piccolomineus, Smiglecius, Crellius, Arnisæus, & Peripatetici hodierni fermè communiter. Alij negant, vel habitum, ut* Ram⁹ compar. 4. c. Scheck. Sluter. anat. Dial. Ra. c. 1. Sagitta. C. 1. ax. Lo. d. 4. t. 5. C. 1. ax. Met. d. 7. t. 3. *Vel habitum instrumentalem Log. genus esse.* Cruſ. d. Lo. 1. q. 2. Scheib. c. 1. int. Lo. n. 28. *Vel ullius artis genus habitum esse. Vt Ramistæ cõmuniter. 1. Quòd iste habitus vel à naturâ, quod non, vel ab arte producatur. At ars ipsa sit habitus. Quomodo ergò causa habitus? An idem erit causa & effectus? An idem causa sui ipsius? 2. Habit⁹ sit firma qualitas, difficulter mobilis; & cessante operatione ejus, maneat ipse in animo. At Logica facilè elabatur animo, & cessante mentis operatione cesset & ipsa. 3. Instrumentale esse sit accidentale omni habitui, & sic etiã Logicæ, & naturam Log. constitutã demum sequatur. At genera sint essentialia rebus. 4. Si Log. per habitum instrumentalem definienda, E. disciplinæ reales per habitum principalem, ut proximum genus. Quod nemo adhuc fecerit.* His facilè occurritur. 1. Ars *latissimè dicta est causa habitus: strictè est ipse habitus.* V. Cl. J. M. l. 1. diſ. Ra. c. 1. q. 4. c. 2. q. 1. Ars *ipsa est habitus in se: Est causa habitus in alio per accidens, quà ut docens assumitur. Sic sutoria est habitus in se: ut docet alium, in eo causat similem habitum. Causæ producunt interdum effectus sibi similes. Homo hominẽ, ignis ignem, ars artem. Interim semper alia numero res, quæ causat, & quæ causatur. Ita causa non est effectus, nec hic illa.* 2. Logica *firmè apprehensa & usu roborata*

rata nec facilè elabitur animo: nec cessante operatione ipsa desinit esse. Nisi dormientem Logicum neges, quia non discurrat. Perinde ac hominem neges rationalem, quòd actu non ratiocinetur.

II. 3. Instrumentale *esse est accidentale principali habitui, item habitui præcisè spectato, ut est qualitas animum perficiens: Habitui instrumentali est essentiale, ut cujus essentia in applicando ad aliud consistit.* 4. Non est *par consequentia. Nam habitus principales sunt diversarum specierum, diversis nominibus præditi, quæ pro proximis generibus, speciebus infimis, & subjectis disciplinarum sunt assignanda. Ita Physicam malè definies per habitum principalem, Quia datur propius genus isti subjectum, & proprio nomine constans; scientia. Ita Ethicam malè per habitum principalem, Quia subjacet propius genus, prudentia. At in instrumentalibus habitibus id secus est. It tantùm sunt species, & diversa ac distincta nomina generica non habent, nisi ad hoc solum recurras, habitus instrumentalis. Et sic non datur aliud nomen, quod pro genere istis disciplinis assignare possis, quàm habitus instrumentalis.* Deinde *& hoc nota:* Commodiùs *genus Log: dicitur* habitus instrumentalis, *quàm nudè* instrumentum. *Sanè Logica reverâ est instrumentum & instrumentale quid, Nam & subordinatur Causæ principali, & ab eâ applicatur ad agendum, ab scientiis nempe principalibus, quibus subservit instrumentaliter & directivè: & applicatur ad operationem principalis agentis, non suam propriam, Ita v.g. in scientiis applicatur Logica, ut actus scientiarum v.g. in Physicis, Mathematicis, instrumentaliter causet, non suos proprios: & sic requisita veri instrumenti habet, ut benè deducit* Smiglec. d. 2. Lo. q.5. *Sed hoc est velut affectio aliqua & proprium Logices, non statim genus, Vt rectè observat* Schei. c.1, n. 29. *Ipsæ notiones ratiocinan-*

cinandi à Logicâ suppeditatæ propriè & proximè sunt instrumenta, quibꝰ proximè ad ratiocinandum utimur. (Quanquam & eæ absolutè spectari possint, ut de syllogismo deducit Cl. I. M. l. 2. dis. Ra. c. 9. q. 4.) *Ipsa Logica est habitus continens, proponens, & suppeditans illa instrumenta. Vti benè* Hipp. q. 4. Log. Keck. tr. 1. c. 2. præ. Log. q. 4. Bart. d. N. L. n. 83. D. Hessel. Th. Log. c. 1. q. 4. *Secundum quosdam etiam efficiens.* Schei. c. l. n. 26. Timpl. l. 1. Lo. c. 1. q. 3. Hipp. c. l. Crus. c. l. *Alij tamen hoc negant, & eas notiones potius à primis Log: inventoribus, Philosophis, & ratione esse confectas ajunt: Logicam eas saltem proponere, & naturas earum contemplari.* Smiglec. c. l. Alsted. l. 1. Lo. har. c. 1. §. 2. *de quo ænigma apud eundem videas* §. 4. Zabar. l. 1. d n. L. c. 12. *Efficeret enim Log: seipsam. Istæ notiones aggregatæ in unam disciplinam, sunt ipse habitus Logicus. Deinde Logica etiam absolutè spectari potest, quà est firma qualitas, animi discursum perficiens: Vnde communiter ad Categoriam Qualitatis refertur. At instrumentum tantùm est relativum quid. At genus cum specie ejusdem sit Categoriæ. Prout ab aliis disciplinis in usum trahitur, ita instrumentalis fit, & sic rectè cum additamento dicitur, habitus instrumentalis. Vt rectè* Dn. Hesselbe. c. l. *Ita in additis rebus solemus etiam absolutè naturam rei posse contemplari. Ita justitiæ distributivæ, quà est justitia: temperamenti sangvinei, quà est temperamentum. Ita habitus principalis, quà est habitus.*

12. 2. Habitus intellectus. *Habitus vulgò dicuntur* alij *corporis, qui corpus perficiunt, ut sanitas, pulchritudo:* alij *animi, qui animum. An accurata illa sit divisio, ad Metaphysicum spectat disquirere.* Co. Cl. J. M. l. 2. part. s. 9. q. 5. *Logica est habitus animi, & quidem* non *voluntatis, ut habitus morales,* sed *intellectus: Non quòd illum verâ rei cujusdam natu-*

turâ

turâ erudiat, sed quòd ejus discursum & progressum, s. in operatione primâ, s. secundâ, s. tertiâ dirigat & perficiat. Ideò additur 3. Instrumentalis. *Habitus* alii *dicuntur principales, qui primariū aliquod & reale objectū animo humano explicant, ejusq́ cognitione illū perficiunt, Et sunt Aristoteli quinq́, Intelligentia, Sapientia, Scientia, Prudentia & Ars.* l. 6. Eth. c. 3. Alii *instrumentales, qui notiones secundas eidem suppeditant, quibus ut instrumentis in realibus disciplinis faciliùs progredi possit. Vt Grammatica, quæ instrumenta purè dicendi, Rhetorica, quæ ornatè, Oratoria, quæ copiosè & eloquenter dicendi instrumenta suppeditant. Talis habit⁹ Logica, quæ instrumenta verè & judiciosè ratiocinandi menti suppeditat, Vt in quibuscunq́ operationib⁹ rationalib⁹ accuratè & ordinatè progredi & veritatem in omnibus assequi possit.* Ultimò *& hoc adverte: Definiri hic totam Logicam habitū, ut aggregatur ex omnibus notionibus in eâ explicatis: Partes Logicas, ut Topicam, Apodicticam, eodē cum toto genere gaudere non præcisè necesse est; Et si gaudeant, non penitùs absurdum & insolens est, quando & eæ partes, ut docentes, considerantur. Tùm enim habitus.*

13. *Cæterùm in* genere *Log. assignango penè plures Logicorum sunt sententiæ, quàm muscarum in Armeniâ, tùm, cùm caletur maximè. An Logicæ genus ex habitibus principalibus* th. 12. *enarratis aliquod assignari possit, anceps & diu magnum inter Logicos est prælium. Qui* prudentiam *aut* intelligentiam *ejus genus assignet, nemo adhuc visus est. Et per se patet, ista genera nimis Tropicè Logicæ assignatum iri. Intelligentia dicit verum principale per se; Logica tantùm instrumentaliter. Prudentia dirigit intellectum in actione practicâ morali principali: At Logica circa secundariam tantùm actionem, modum ratiocinandi.* Co. Smigl. c. 1. q 5. D. J. M. d. 4. probl. 4. Zabar, l. 1. d. N.L. c. 2. Sapientiam *eam esse*

esse Ramus ex conditionibus sapientiæ l. 1. Meta. c. 2. *ab Aristotele requisitis educere nititur,* l. 1. Sch. Met. c. 2. *Ut quòd sit Universalissima, accuratissima, aliorum non indiga, præses aliarum, maximè eligibilis, maximè ad docendum apta. Sed hic semper confunditur aptitudo instrumentalis cum reali. Sapientia est Universalissima, accuratissima, præses, &c. in realibus præceptis communissimis suppeditandis, de realibus objectis, ex quorum virtute fermè omnia decidi possint: Logica est talis saltē instrumentaliter, quòd Universalissima instrumenta suppeditet, quibus in omnibus disciplinis uti possimus, nihil realis objecti de rebus intellectui explicat.*

14. Scientiam *pro genere Logices docentis assignârunt ex Veteribus Scholastici permulti,* Scotus, Albertus, Durandus, Capreolus, Occamus, *Bacconitanus, Flandria, Avicenna, &c.* ap. Dn. Weger. q. 1. proëm. org. Aristot. *Itemq́ Valla l. 3. dial. c. 1. Quidam & Thomam addunt.* Conimbr. q. proë. Lo. a. 3. Dn. Weger. c. l. Morisan. proleg. 3. Log. Smiglecius *tamen latè nomen scientiæ usurpasse explicat* c. l. *quòd habeat modum quendam scientiæ. Ex Neotericis* Conimbric. c. l. Tolet. q. 2. proë. Log. Ruvius q. 5. proë. Log. Mendoza d. 2. Lo. s. 1. §. 5. Sa. d. Lublin. qu. Lo. proë. a. 1. Hesselbe. c. 1. th. Lo. q. 3. Morisan. prol. Log. 3. Arriaga d. 3. Log. s. 2. Masius q. 11. proëm. s. 1. Log. Suaretz. d. 1. Meta. s. 4. n. 26. & d. 44. s. 13. n 54. Rhoed. d. 1. Log. Scalig. ex. 307. s. 23. Casus p. 1. Log. c. 3. *Quorum alij scientiam speculativam, alij practicam, alij utramq́ eam fecerunt. Contrà:* 1. Omnis *scientia occupatur circa reale objectū. Patet inductione omniū scientiarum, quæ citra controversiam tales sunt. Logica circa notionale tantùm, notiones secundas Logicas.* V. t. 23. *Ergò.* 2. Omnis *scientia elicit cognitionem speculativam tantùm, & in eâ ut ultimo fine, ex naturâ sui, sistit. Logica hoc non facit.*

Sed actus suos intellectus pro normis directivis alterius actus efficiendi adhibet, v.g. sic esse definiendū, dividendū, ratiocinandum. 3. Si *Logica est practica, & ejus finis praxis aliqua arti analoga, nequit esse scientia contemplativa. Quia hi duo diversi sunt habitus, agere & contēplari, tanquā ex ultimis disciplinæ finibus sumpti, qui in unā simplicem disciplinā, qualis Logica, concurrere non possunt. Secus est de habitib⁹ aggregatis, ut Philosophiâ, Theologiâ. At posterius est, ut ex omnibus notionibus Logicis patet, quæ praxeos alicuj⁹ gratiâ sunt fabricatæ.* V. Scalig. ex. 1. s. 3. *Non ergò vel mera scientia est Logica, vel scientia practica: Nam hoc contradictorium est, nisi scientiam latissimè sumas. Quomodo & Ethica dicitur scientia. V. Nihus. d. 1. Lo. t. 9. Vel practica & speculativa simùl. Vid. plura ap.* Dn. Weg. c. l. q. 1. & 2. Smiglec. c. l. Zabar. c. l. c. 3. 4. *Alij adducere hic solent, modum sciendi non esse scientiam ex* Arist. 2. Meta. c. 3. *Sed id fortè non magnoperè stringit.* V. Isendorn. C. 2. eff. 62. Morisanum c. l.

15. Artem *Logices genus fecerunt ex Veteribus* Alexander, Boethius, Monlorius, Simonius, Ant. Mirandulanus, *ap.* Keck. l. 1. præ. Lo. c. 2. q. 1. *Ex Neotericis* Ramei *ad unum omnes, præeunte* Ramo l. 1. Dial. c. 1. & 30. *Vt* Dunamus, Talæus, Piscator, Bilstenius, Makilmenæus, Rhodingus, Voitus, *aliiq́;: Quos ex Peripateticis & mistis sequuntur* Dn. Philipp⁹ l. 1. Dial. Paci⁹ præf. Isag. Por. Scalig. ex. 1. s. 3. & l. 3. Poët. c. 1. Hildenius, Agricola, Goclen. p. 1. probl. 3. Keckerm. c. l. & l. 1. Lo. s. 1. c. 1. Scheib. c. 1. introd. n. 26. Finck. p. 1. Sched. 24. Crus. d. Lo. 1. q. 2. Perion. l. 1. Dial. c. 1. Sturm. l. 1. par. Dial. Timpler. l. 1. Lo. c. 1. q 3. Flac. l. 1. Lo. gen. c 7. Hunnæus proëm. Log. Titelm. pro. Log. c. 10. Becman. l. 1. com. Lo. c. 1. s. 2. Rheni. p. 4. Lo. Bersman.

p. 7. Log. Sluter. & Sagittar. l. c. *in th. 10.* Alsted. l. 1. Lo. harm. c. 1. Wasius ax. Phil. 106. Danhav. d. 1. Log. th. 1. Zanak. l. 1. c. Cl. J. M. s. 1. c. 1. q. 1. Libau. p. 23. Dial. P. Ram. Sonleutn. p. 1. Dial. Dusa l. 1. Lo. Socrat. c. 1. Polan. l. 1. Log. Olevian. fund. Dial. l. 1. c. 1. & l. d. int. Dial. c. 1. *Aliiq́. Sed hoc diversimodè.* Alii *ex vulgatâ Luciani & Ciceronis definitione artis: cõprehensio præcept. homogeneorũ, in vitâ utiliũ, &c. Vt Ramei, Dn. Philippus, (qui se latè artis voce uti ostendit additâ voce via, ut benè* d. Co. Mar. prol. com. Log. c. 4. *quam propriè nemo Log. pro genere tribuet, ut nec vocem Scaligeri, supellex.* Scal. ex. 1. s. 3.) *Timpl. Rhenius, Bersmannus:* Alii *ex accuratâ Aristotelis definitione* 6. Eth. c. 4. *tradita, Vt Finck. Scheibler. Goclen. Danhau. Crus. Zanak. Alsted. & alii:* Alii *simul scientiam, quà demonstrat proprietas de rebus Logicis, & artem faciunt, quà efficit Syllogismos, Vt Suaretz & Ruvius* ap. Smiglecium c. l.

16. *Quocunq́ modo sententia explicetur, falsum id genus est.* 1. Nullum *genus Metaphoricum debet tolerari in legitimâ definitione, si suppetat propriũ. At tale genus est ars secundũ acceptionẽ Ramistarum sumpta. Omnis enim scientia, sapientia, prudentia, hoc modo ars dici potest, quà in ordinatũ systema præcepta earum cõportantur. Et suppetunt hic genera propria, quæ Logicæ assignari possunt, Vt scientia, instrumentum, habitus instrumentalis, disciplina, &c. Nec ex strictâ artis definitione Logica est ars.* 1. Omnis *ars 6. Eth c. 4. definita versatur in opere reali efficiendo. Hoc patet inductione omnium artium. Vt pistoria, sutoria, sartoria, ædificatoria, fabrilis, frenatoria, Medicina. Adde etiam, si vis, saltatoriã, Citaristriã, gladiatoriam, quas Galenus artibus accenset, Eustathius separat,* V. Arnis. c. l. c. 1. lit. A. *Vtrovis enim modo hic se*

res habeat, opera earum sunt opera realia, & notiones primæ, non intentionalia, & notiones secundæ. Nec potest ullius veræ artis dari dissimile exemplum. At Log. non versatur in opere reali efficiendo, sed notionali: Hoc ostendunt opera Logica, quæ omnia sunt notiones secundæ, ut Termini, Propositiones, Syllogismi. Quod non negant illi, qui Log. artem faciunt ex strictâ artis definitione. Ergò Logica non est ars 6. Eth. descripta.
Dices: *Efficere etiam notat opus internum in mente efficere. Et Syllog. dicitur* ποίησις l. 1. prior. c. 25. l. 2. prior. c. 8. *Et sic Logica efficit.* R. Efficere *Aristoteli quandoq; omnem effectionem, etiam praxin, notat, ubi non ex professo de istis materiis tractat. Sæpè enim vocabula ad sensum vulgi usurpat.* V. Arnis. c. l. Cl. J. M. l. 1. dis. Ra. c 1. q. 4. *Et hoc modo Logicam efficere nemo negat: At hoc efficere est per analogiã proportionis, non proprium: Et sic ex eo Logica, ubi ad summum rẽ deduxeris, efficietur ars per analog. proportionis. Quod nemo negat: Vt benè innuit* Smiglec. c. l. *Ipsi Aristoteli artis nomine venias* l. 2. Elench. c 9. & 1. Rhet. ad Theodect c. 1. 2. *quæ loca allegat* Keck. c. l. præco: *Nihil contra nos est. Nam &* c. l. in Rhet. c. 2. *scientiam vocat. Vbi malè hanc pro genere ejus ex hoc substitueris. Sic Mathematicas disciplinas vocat artes* 1. post. c. 1. 1. Meta. c. 1. *Nec tamen artem illarum genus inde dixeris. Obiter &* παχυλῶς *eas res ibi tractat Philosophus, ubi sæpè cũ vulgo & promiscuo usu loquitur. At hic quæritur de genere proprio & rigido, non Metaphorico. E. hæc res est ex propriâ sede judicanda.* 6. Eth. 4. 5. 6. *Vbi discrimen praxeos & poieseos adducitur. Vbi effectio est operatio ad extra, quæ non subordinatur essentialiter honesto: praxis operatio ad extra, unde bonus vel malus moraliter quis dicitur. Jam ita hic vox effectionis sumenda, ut per eam ars distinguatur à scientiâ & prudentiâ. Nam hæc definitionum lex est. At analogicâ istâ effe-*

ctione

ctione id non fiet, sed hac propriâ. Nam analogicè & scientia efficit v. g. θεωρίαν *& speculationem : & prudentia v. g. actionem honestam. At ars est determinata ad opera realia & externa, Qualia non sunt Logica : Et consequenter ars non est verum Logicæ genus.*

17. 2. Omnis *ars relinquit opus externum & in sensus incurrens. Probatur similiter inductione omnium artium, Vt nauticæ, venatoriæ, piscatoriæ, saltatoriæ, Citaristriæ, Medicinæ, quarum opera omnia sunt externa, & in sensus incurrentia. Vt experientia testatur. Nam quòd Medicinam excipit* Schei. c.l. n.34. *nihil est. Omninò n. & ejus opus est externum, id est, in sensus incurrens, & sensibile : est n. vigor membrorum ad operationem idoneus. At is citra dubium sentiri potest. Vnde & Medicina ars definitur* Horst. d. med. 1. c.9.10.20. Cl. Sen. l.1. inst. Me. c.1. Heurn. l.1. inst. c. 2. *aliisq. Etsi non tàm crassum sit opus, quale mechanicarum artium, quod exiguum ingenij, plus roboris corporisq; requirit. Satis est, si sit opus externum, i.e. in sensus exteriores incurrens. Quidquid sit de cæteris, ut esse opus permanens, ut calceus : non transiens, ut saltatio : esse ab operatione distinctum, ut vestis, non idem cum eâ, ut gladiatio : esse opus in alio subjecto, quàm operante, ut frænum, non eodem, ut citharisatio. Hæc inpræsentiarum non urgebo. Satis est, si duo ista requisita omni veræ & propriæ arti inesse probavero, opus producere 1. reale, 2. externum & in sensus incurrens. Quæ omnium artium esse propria, ex inductione, cujus nullum est exemplum dissimile, Adversarij coguntur concedere. Et hæc puto hac in materiâ cumprimis urgenda esse. Cætera, quæ habet* Scheib. c.l. n 35.36. *Vel suis authoribus relinqui possunt, vel non magnoperè stringunt. Et ab illis, à quibus urgētur, fortaßè defendi poterunt.* Co Barth. d N.L. n. 45 56.

18. *Nec illud discrimen* Naturæ & artis *inde convellitur,*

à Philosopho traditum 2.Physf. c. 1. t. 3. & l.2. d. gen. anim. c. 1. *Naturam esse principium internum, artem externum. Nam ita dicitur non* subjectivè, *aut* objectivè, *quasi natura semper in sese ageret, nam ignis & in se agit ascendēdo, actione immanēte; & in aliud, v.g. lignū comburēdo, actione transeunte: Sic sol in terrā agit: Aut quod ars semper extra sese agat: Nam Medic⁹ potest v.c. curare seipsum: Saltator motione agit in semetipsum: Vt benè* Dn. Arnis. c.l. *sed* radicativè & effectivè, *quod natura operetur semper à principio essentialiter subjecto indito, Vt ignis à calore, aqua ab humore & frigore: Ars ab externè & accidentaliter illato, ut Sutor ab Sutoriæ habitu, Citharædus à Citharisationis arte, quæ accidentaliter hominibus superveniunt, non ab essentijs eorum promanant. Ita natura semper operatur internè, Ars semper externè. Vt bene hæc innuit* Philoso. c.l. t. 1 & 12. *Et rectè explicat* Arnis. c.l. *Conf.* Cl. J. M. C. 1. d. 8. q. 6. Zabaral. l. d. Nat. c. 1. Perer. l. 7. d. Nat. c. 3. Taurel. l. 3. in. Cæs. q. 1. n. 39. Ruvi. in l. 2. Physf. c. 1. Non satis *est dicere,* Opus *artis dici externum, quòd non sit de essentiâ subjecti, cum* Crusio c. l. *Sic & Log. opus posse dici externum. Nam hac ratione & speculatio, contemplatio, moralis honesti actio, essent opera externa artium, quia non sunt de essentijs hominum. Quæ tamen accuratè ab artis operibus distingvit Aristoteles.* Nec satis, *Log. non efficere notiones, sed præbere, cum* Alsted. c. l. *Nam si Logica est ars, ut vult Alsted. E. oportet efficiat aliquid. Nam ars est habitus operis effectivus. Et per hoc distingvitur ab alijs habitibus, scientiâ & prudentiâ.* Omnium *absurdissimū erit, Logicæ etiam opus externū attribuere, cum* Zanakio, c. l. ex l.2. Physf. c. 1. *Nam similitudo sufficiens est, si in quibusdam sit inter fabrilem artem & Logicam: Vt quòd utraq; sit habitus acquisitus, operetur aliquid: sed illa proprium & verum artis opus, externum: hæc im-*

improprium, analogicum, & internum. Non opus est, in omnibus conveniat. Cumq; probatum est, nec scientiam, nec artem veram Log. esse, simul nec esse utrumq; probatum est, quod alij sentiebant. V. t. 16.

19. Alii *Logicam per* instrumentum *definiunt. Dictum* th. 11. *meliùs dici habitum proponentem instrumenta, quibus in indagando vero utimur. Quanquam Authores, qui eam instrumentum dicunt, nil aliud quàm disciplinam s. habitum instrument. intelligunt.* V. D. J. M. d. 6. Probl. q. 1. n. 9. Zabar. l. 1. d. N. L. c. 10. Smigl. c. l. *Diversitas est de solo nomine.* Alii *per facultatem* ap. D. J. M. c. l. d. 5. q. 1. Zabar. c. 9. & Smig. c. l. *Petrella & Philoponus ap:* Reg. q. 2. de N. L. *Sed illa vox vel sumitur* latè, *sic nimis remotum genus est: Competit enim omnibus scientijs, prudentijs, artibus, quæ sunt facultates, i. e. potentiæ perficientes sua subjecta ad operandum: vel* strictè, *& sic est potentia contrariorum. Sic Topicæ propriè competit, quæ est facultas probabiliter in utrãq; partem argumentandi. Ita Rhetorica facultas persuasoriê in utrãq; partem dicendi dicitur. Quâ in re eam Logicæ propter Topicam facit analogam Aristot:* 1. Rh. ad Theode. c. 1. 2. *Conf:* Smig. & Reg. c. l. Alii *per doctrinan vel disciplinam. Sed hæc s. pro externâ doctrinâ sumantur, quâ alius informatur, s. pro interno Doctoris conceptu & habitu, qui in mente ipsius Logici est, accidentalia sunt Disciplinis. Accidit ipsis, doceri vel disci. In essentijs suis abstractè definiri debent.* Co. Dn. Weg. prolegom. L. c. 2.

20. *Fuit* conceptus latior: Strictior *est differentia, quæ est in verbis:* benè ratiocinando verum assequendi. *Quæ verba à* fine interno & externo *sunt desumpta, prout in instrumentalibus disciplinis solitum est.* Finis internus *Log: est benè ratiocinari.* *to* benè *notat non bonitatem*

judi-

judicij naturalis, aut ingenij, nec bonitatem mentis: sed artificij, notatq́; idem ac artificiosè, judiciosè, congruè, ordinatè ad præscriptum præceptorum Logicorum. Nec est hæc vox redundans *in definitione, eò, quòd omnium habituum instrumentalium sit, benè & artificiosè procedere, & omnium sit finis, bonum & artificium animo humano inserere. Nam bonum aliud* est generale, *cuivis disciplinæ inclusum, quæ perfectionem sui objecti ut bonum, intendit; Hoc in naturâ habitus cujusq́; etiam instrumentalis, jam est: Aliud* speciale, *quod notat convenientiam & perfectionem cuiq́; habitui specialiter pro intentione sui finis debitam. Sic Rhetorica est habitus benè dicendi, id est,* ornatè: *Oratoria benè, id est,* copiosè *& eloquenter: Grammatica benè loquendi, id est, purè. Sic Logica benè ratiocinandi, id est,* judiciosè, verè, dextrè, ordinatè, *non absurdè, rationabiliter, ad cujusq́; rei naturam. Ita discernendum est, ubi argumentis apodicticis utendum, ubi Topicis. Sic Medicina ars benè medendi, id est, salutariter corpori & congruenter. Confer* Goclenium p.3. problem. 1.

20. Τὸ Ratiocinari *1. hic non sumitur* strictè, *prout solam tertiam operationem Logicam notat, discursum: Sed latè, ut omnem operationem, & apprehensionem, & enuntiativam compositionem, & discursivam argumentationem complectitur. Sic enim vox ratiocinari interdùm Authoribus sumitur.* Vide Scalig. ex. 307. f. 2. Hesselbein. c. 1. Th. Lo. q. 6. *Ut ratiocinari hic & is dicatur, qui Thema aliquod per terminos partis primæ convenienter ad ordinem Logices pertractet, & qui propositionem per notiones partis secundæ debitè resolvat, & qui argumentationes per notiones partis tertiæ justè exsequatur.* 2. Non actualiter, *prout notat semper actum ratiocinandi: sed potentialiter, prout facultatem. Prout in definitionibus verba non actus, sed potestates notare solent.*

Ita

Ita in dormiente Logica est habitus benè ratiocinandi, id est, valendi ratiocinari; etsi actus ratiocinij non adsit. 3. Identicè *ad τὸ differere & rectificare operationes intellectus. Vnde perinde est, sive benè ratiocinandi, s. differendi s. rectificandi operationes intellectus dicas. Vbi non obstat, differere Tropicum esse. (Quanquam* Buscherus *negat id de differo, disserui.) Famosè enim hodiè in eo significato usurpatur, ut fermè non habeatur pro Tropico: & obscuritatem nullam infert* 4. τὸ benè Ratiocinari *est finis Logicæ* internus, *cujus gratiâ & omnia in Log. proponuntur: & qui in ipsâ disciplinâ continetur: & quem Log. semper assequitur. Nec huic obstat, quod in ipsâ disciplinâ proponatur. Id enim finibus internis competit, qui ut differentiæ, disciplinis apponuntur.* Co. Tim. l. c. q. 5. Flacium l. 1. Log. ge. c. 7. τὸ verum assequi *est finis externus, ad quem omnes operationes Log. collimant; & materialiter est in ipsis disciplinis cæteris* primò, *de quarum objectis disceptamus:* Secundò, *& in ipsâ Logicâ, cum ejus materias & objecta disceptando assumimus:* Instrumentaliter & directivè *hic finis est in Logicâ, cujus notiones directivæ sunt ad assequendam veritatem. Hi fines cætera, ut notionum secundarum fabricationem, usurpationem, exercitium frequens, ordinem, perspicuitatem, ut media finibus subservientia cōprehendunt. Variæ aliàs Authorum sunt de fine Log. sententiæ, quas videris* ap. Reg. c. l. q. 4. Vbi *10. opiniones adducit.* Alii *distinguunt inter finem Logicæ Aristoteleæ, qui potissimus, demonstratio: Et Logicæ in genere, cujus adæquatus, quævis judiciosa rationalis operatio.* Goclen. p. 1. pro. 4. *Conf.* Zabar. l. 1. d. N. L. c. 13. Alii *negant assignatos fines, ut* Keckem. Becman. l. 1. comp. Lo. c. 1. s. 2. *De quo* Vid. Dn. Schei. c. 1. Introd. n. 93. 94. 99.

21. *Fuit* definitio *Logicæ: Sequitur* divisio: *Ea non*

minùs varia apud Authores, ac definitio. Duæ sunt, quæ veriores cæteris, & sibi commodè subordinari possunt. Logica *dividitur in partem* communem & propriam. Communis est, *quæ proponit syllog. & quæ ad eum pertinent, in formâ absq; speciali materiâ consideratum. Et dividitur in* tres partes, *secundum tres rationales mentis operationes: apprehensionem, cui terminorum doctrina in parte primâ: compositionem, cui propositionis: & argumentationem, cui syllogismi doctrina respondet.* Propria *est, quæ considerat Syllog. certæ materiæ applicatum. Estq; pro materiæ illâ varietate etiam* triplex, *Apodictica, Topica, & Sophistica. De his membris alibi fusiùs tractabitur, disp. 13. Gym. Lo.* Quidam *divisionem negant, ut* Scheib. c. l. n. 7. Kecker. tr. 3. præ. Lo. c. 2. q. 6. Timpl. c. l. q. 14. *his rationibus.* 1. Divisio *competit soli Syllogisticæ, non toti Logicæ. R. Competit Syllogisticæ & pertinentibus ad eam, quorsum termini & propositiones pertinent, Et sic 1. & 2. Log. partem, adeoque totam Log. exhaurit. Apod. Top. & Soph. est solius Syllogisticæ divisio: Non pars communis & propria.* 2. Omittit *methodum, diversa, & axioma discretum, ex quibus syllogismi non fiunt. E. insufficiens. ℞. Methodus vel partis tertiæ additamentum est: vel omnium operationum Logicarum generalis modus & consequens. Et ita simul involvitur. Plura in doctrinâ de methodo. V. disp. 16. th. 5. Diversa sunt termini dissentanei, & in illorum tractatione tradendi. Axioma discretum in 2. operatione tradendum, ut omnis species variandi propos. aliquam indicetur, etsi syllogismo non conducat. Conf.* Fabr. q. 6. pro. Log. Alii *aliter sensum divisionis explicant. Ut communis sit ipsum Log. systema præceptis adornatum: propria s. specialis usum præceptorum ad materias applicandorum doceat.* V. Alstedium c. l. §. 5.

22. *Reliquæ divisiones Authorum* vel *vocis saltem sunt explicationes, non rei divisiones: ut in utentem & docentem.* V. Dn. Weg. q. 1. org. n. 3. *Unus hic est habitus, ratione ratiocinatâ tantùm distinctus, ex diversis respectibus ad actus distinctos ortus.* V. Smiglecium c. l. q. 6. *Quicquid sit de conciliationibus* Timpleri c. l. q. 13. *Et rectiùs pro eo diceretur Logicâ utens, in casu auferendi, Qui Logicâ ad omnes disciplinas uti posset, quàm nominandi, Logica utens, Ut rectè notat* Mendoza d. 2. Lo. §. 4. *Vel sola Logica utens (casu Nominandi) diceretur Logica, est enim ipsa habitus instrumentalis, aliorum gratiâ cognoscibilis.* V. t. 11. *Docens saltem æquivocè. Et cæteræ disciplinæ, Logicam adhibentes, non dicerentur Logicæ, sed utentes Logicâ. Prout utens serrâ improprijssimè diceretur serra utens, Ut benè* Arriaga d. 3. Lo. s. 1. *Res est de nomine saltem. Item* In *artem & artis usum, ap.* Reg. c. l. q. 5. *quæ fermè cum priori coincidit: Naturalem & artificialem* ap. Bartholi. d. N. L. n. 102. *Nam tales distinctiones vocum saltem sunt.* V. Keckerm. l. 1. Met. ple. c. 4. Vel unius rei *secundum diversos respectus temerariæ multiplicationes, ut in Veterem & Novam, Eckij, Gutenbergij* ap. Reg. c. l. *abstractam & concretam* ap. Barthol. c. l. n. 205. *generalem & Criticam* ap. Alsted. c. l. l. 10. c. 1. *Vel inaccuratæ rei divisiones sunt, ut Rami, Ramistarum & mistorum, in inventionem & judicium (vel ut* Polanus l. 1. p. 1. *vocat, partem de proposito, & de judicio:)* ap. Cl. J. M. C. 1. d. 4. q. 1. & l. 1. dis. Ram. c. 2. q. 2. Keck. tr. 3. præ. Log. c. 2. q. 10. Cor. Mart. prol. Comment. c. 6. 8. Timpl. c. l. q. 15. *Neq; quæ contra horum rationes producunt alij,* Hesselbeinius c. l. c. 2. q. 2. D. Finckius ex. 1. n. 1. p. 2. Sched. 29. Scheib. int. Lo. c. 17. n. 13. Becmannus l. 1. compar. Lo. c. 2. s. 2. *solidè stringunt, ut ostendit* Cl. J. M. c. l. *& in*

 discur-

discursu pluribus tradetur. In elementarem, constructivam & inventivam, *Hospiniani* ap. Reg. c. l. *In Analyticam & Topicam Philoponi ap. eundem*, c. l. *Inaccurata hæc omnia, nec ex essentiâ aut fine disciplinæ sumpta.*

23. *Fuit* divisio *Log. sequitur* objectum, *sive ut alij vocant, subjectũ, (quanquam melius objectũ dicitur, V. postea:) Circa quod aliqua disciplina tractandum occupatur. De hoc cæterùm mare Controversiarum apud Authores.* Regius 14. *opiniones collegit* c. l. q. 3. *Ad 5. principales digessit* Timplerus c. l. q. 14. *& apud* Smiglecicum c. l. q. 1. 3. Cl. J. M. C. 1. d. 3. q. 1. Scheibler. c. 1. in. Log. n. 43. Dn. Weg. q. 6. 7. proêm. Lo. Fabr. q. 5. d. N. L. Zabar. l. 1. d. N. L. c. 14. Arriagam d 2. Log. Mendozam. d. 1. Lo. Morisanum prole. 4. Conimbr. q. 5. proëm. Tolet. q. 5. proêm. Bartho. c. l. n. 93. 94. *videri multa possunt. In tantâ varietate commodè ita procedi potest, ut* 1. Distinguatur *inter subjectum, quod est illud, Cui Log. inest, animus humanus vel angelicus: subjecti ambiguitate primùm detersâ, quam vide ap.* Zabar. c. l. c. 15. Barth. c. l. n. 94. 95. *& objectum, quod illud, quod disciplina aliqua tractat.* 2. Objectum *iterùm variè distinguatur.* 1. Est objectum operationis & occupationis, *Circa quod disciplina operando versari potest. Et tale propriè in disciplinâ operatrice, qualis est Logica, quærendum. Vt benè* Zaba. c. 19. *Et hoc in Logicâ erit* vel totale, *immediatum, & circa quod, & hoc* omne Ens, de *quo ratio Logicè operari potest: s. reale, ut primarium, s. rationis, ut secundarium & analogicum, & fictum, quà sub habitudine Entis concipitur, ut Chimæra, Cerberus, Parcæ.* V. D. J. M. c. l. q. 8. *Et sic tolerantur* Ramei, *ens & non ens objectum Log. facientes: sive illud Ens sit finitum s. infinitum, s. universale s. singulare, s. prædicamentale s. extraprædicamentale, s. dubium s. manifestum. Ad hæc enim*

omnia se extendunt operationes nostri intellectus, & sic circa ea versari potest Logica : Vel partiale, *Et hoc potest esse Ens disputabile.* 2. Est objectum tractationis & considerationis, *quod in disciplinâ tractatur, & velut consideratur. Hoc potest esse* vel materiale, *& ut quod, quod obliquè à Log. attingitur, & est omnis notio prima & secunda rationabilis, πᾶν λογιστικὸν, s. omne ens, prout substare potest notioni secundæ formali, & ab habitudine rationis denominari, ut loq.* Dn. Weg. c. l. q. 7. n. 8. Vel formale *& ut quo, quod directè à Log. attingitur, & modum considerandi notionalem involvit. Hoc iterùm est* vel primarium & per se, *illudq;* vel generale, *quod generalem considerandi modum involvit. Estq; notio secunda, vel Ens rationis partim formale, ut propositio, definitio; partim objectivum, ut genus, species, prædicatum, subjectum. Nam disciplinarum instrumentalium, in quibus Logica, objecta sunt notiones secundæ; ut Grammaticæ, Rhetoricæ, &c.* Vel speciale, *quod specialem considerandi modum Logicum involvit.* Quod iterum vel totale, *ut omnis notio secunda Logica, s. apprehensiva, s. enunciativa, s. discursiva: & hæc vel primaria, ut Syll. verus: vel secundaria, ut apparens & falsus. Nam omnia quæ traduntur in Logicis, sunt notiones secundæ Logicæ, ut inductio ostendit:* Vel partiale: *& hoc potest esse* vel *modus sciendi, definitio, divisio, & argumentatio, ut* Arriaga c. l. n. 16. Mendo. c. l. n. 11. 25. *volunt:* vel *syllogismus in genere, ut* Rhœdus d. 1. Log. t. 1. *Scotus & Ægidius ap.* Reg. c. l. *unde eum quidam objectum attributionis vocant:* Vel *Syllog. Apodicticus, ut primarius inter Syllogismos, ut* Arriaga & Mendoza c. l. *iste* n. 58. 59. *hic* n. 38. 39. *volunt:* Vel denique objectum secundarium & per accidens, *& hoc possunt esse voces, quas secundariò Log. considerat, si non ad veritatis acqui-*

sitionem, saltem ad acquisitæ manifestationem, vel involutæ evolutionem, & sophisticè propositæ resolutionem. Ita in themate Logicè tractando ambiguitates vocis detergimus, ut quid tractare velimus, constet. Quod qui alienè fieri clamat, ἀλόγως delirat, & quid Logicè rem tractare sit, discere debet, ut intelligat, non judicare, ut ineptiat. Ita in fallacijs quasdam vocum esse dicimus, sive dictionis, &, in quo fallatur, in sophisticis elenchis in ipsâ Logicâ ostendimus. Atque ita tolerantur Nominales, Voces objectum Logicæ statuentes, apud Regium c. l.

24, 3. Est objectum directionis & perfectionis: *Hoc est* vel totale *& ut quod, estq; & homo, & animus humanus:* vel propinquum *& ut quo, estq; intellectus humanus:* vel proximum, *estq; actus s. operatio intellectus humani rationalis dirigibilis, s. simplex, ut apprehensio, sive composita, ut Enuntiatio & argumentatio. Vnde Log. definitur habitus intellectus.* c. 12. *Et hoc modo explicari possunt* Thomas, Occamus, Ruvius, Morisanus, Smiglecius, Arriaga, *alijq;, operationes mentis obj. Log. statuentes. De secundâ & tertiâ operatione non dubium, quin Log. illas dirigat, sicubi exerrent: suntq; illæ directionis Logicæ actualis & aptitudinalis omninò capaces. Primam dirigi negat* Mendoza c. l. §. 10. *A Philosophiâ & sensib: externis vel internis eam corrigendam putans. Sed prima operatio capax est veritatis & falsitatis, conformitatis cum objecto vel difformitatis: ut cum objecta difformia simul apprehendunrur, Vt si concipias hominem quadrupedem, aut asinum volantem,* V. Smigl. d. 3. Log. q. 4. *itemq; confusionis in conceptu complexi objecti. Vt cum terminum causalem materialem arripias pro finali aut efficiente, affectionem pro definitione.*

Sic si

Sic si corpus docile definitionem hominis putes, cùm affectio sit. Ergò & capax directionis instrumentalis in veritatem, ordinem, &c. quæ à Logicâ est. Rationibus Mendozæ satisfacit Artaga c. l. n. 37. *Ex parte* Smigl. c. l. q. 5. *Error sensuum subjacet sensui, non intellectui. At error intellectûs subjacet intellectui. Ergò ab eo, directivo aliquo rectificato, dirigi potest. Hoc Logica est. Et Logica dirigit apprehensionem* non realiter, *v. gr. equum, leonem explicando hoc Physica facit: sed* instrumentaliter, *per regulas Logicas, sub conceptu generis, speciei, simplicis, complexi &c.* V. Smigl. c. l.

24. *Fuit* Objectiva *Log. Consideratio. Sequitur* Affectiva. *Affectiones Log. sunt* vel *Consentaneæ* vel *dissentaneæ.* Consentaneæ, *quæ cum naturâ ejus consentiunt. Eæ* vel *absolutæ* vel *respectivæ.* Absolutæ, *quæ Logicæ in se spectatæ conveniunt. Vt:* Intentionalitas, (*objectivè & effectivè, non formaliter, subjectivè aut informativè.*) Vid. Scheibler. c. l. c. 17. n. 21. Generalitas, *quà omnibus disciplinis subservit, saltem quà aliquas notiones. Sic Syllogismus omnium disciplinarum est instrumentum.* Vid. Dn. Kesl. p. 17. Log. Pho. *Sic termini abstracti, Concreti, simplices, complexi, Consentanei, dissentanei, Synonymi, paronymi, in omnibus disciplinis locum habent, & prædicata ex illis occurrunt formata.* Totalitas, *quà omnes notiones ratiocinationi inservientes expedire debet.* Unitas & simplicitas, *ratione objecti formalis, etsi materialis respectu aggregata dici possit; Vt communiter de Disciplinis loquuntur Authores.* V. Scheibl. c. l. n. c. 8. n. 3 38. t. 24. *De quo quatenus intelligendum veniat, alibi fusiùs dicturus sum.* Respectivæ *sunt, quæ Logicæ cum alijs disciplinis collatæ conve-*

veniunt, ut necessitas, utilitas, nobilitas, prioritas, posterioritas. Necessitas *est, quâ Logica aliis disciplinis est necessaria hypotheticè seu necessitate expedientiæ, quà finis, judiciosa ratiocinatio, meliùs, commodiùs, & ordinatiùs adminiculo Logicæ expediri poterit, quàm sine eo. Vix enim benè, legitimè, ordinatè & competenter ratiocinando progrediemur, si Logicâ instructi non simus. Docet id* & *conditio* subjecti *Logici, mens humana, quam Logica instruit & dirigit, quæ ad errorem, falsum, & inordinationem naturâ corruptâ plerumq; declinat:* Et objecti, *quod explicat, notio secunda Logica mentem ad verum dirigens, ne ullatenùs exerret:* Et finis, *quem generat, bona rationalis operatio verum assequens, quàm homini necessariam, si verè homo esse velit, esse nemo inficiabitur. Rectè hinc dicitur:* Qui Logicam nescis, effosso es lumine Cyclops. *Epicurus Logicæ imperitus fuisse fertur, eòq; multa ineptissimè conclusit.* Muretus l. 11. V.L. c. 16. *Conf.* Ciceronem 1. d. finib. §. 22. 26. *Paracelsus Logicam Medico noxiam & lumen naturæ impedire scribit.* V. Sennert. d. Chym. conf. c. 4. *Verulamius doctrinam Logicam inutilem ad inveniendas scientias, magisq; ad errores figendos, quàm verum inquirendum facere, magis damnosam, quàm utilem ait*, in instruct. magn. l. 1. §. 11. 12. 13. *Omnia in Logicam injuriè, ut in discursu dicetur.* Utilitas *est, quà genesi & analysi omnibus disciplinis inservit vel thematicè, vel enuntiativè, vel argumentativè procedendo. Et hoc* vel *solitariè*, vel *sociativè, ut docendo vel disputando. Vt prolixè in* pædia f. praxi Logicâ *per singulas operationum Logicarum partes deducimus. In* Theologiâ *ingens est ejus usus in consequentiis verè nectendis, resolvendis, dijudicandis, quas non contra Logicam, sed ad*
ejus

ejus formas ipsum Christum & Apostolos nexuisse dec. 1. misc. d. 10. t. 9. seq. *apertissimè confirmavimus. Etsi enim veritas sententiarum in scripturâ sit: veritas tamen connexionum & sequelarum à lumine naturæ & directrice ejus, Logicâ, desumenda. Hæc enim instrumentum illud, quod principia connexionum ostendit, & ex propositione aliquâ in Scripturâ contentâ aliam à Theologo deductam Conclusionem tot vocibus in Scripturâ non extantem legitimè sequi demonstrat. Sic Apostoli*, Roman. 3. & 4. 5. *& Christus* Matt. 22. *consequentias ex contentis in V. Testam. texuerunt. Regula consequentiæ non dat terminum medium velut ex ratione, quo probandum sit thema Theologicum. Hic enim ex Scripturâ sumendus est, & ab eâ suppeditabitur: sed ex isto termino medio legitimè aliud quid deducere ex regulis & arte Consequentiæ, Logicâ, sumendum. Fusiùs hæc contra* Veronium *Jesuitam & alios disceptantem* V. Vedelium l. 3. Rat. Theol. c. 3. & Keslerum p. 1. meth. converten. hær. c. 9. Nobilitas *Logicæ est, quâ partim excellit supra omnes habitus instrumentales, ut Grammaticam, Rhetoricam, Poëticam, Oratoriam, & cæt. ex objecti & finis supra illas præstantiâ: partim supra ipsam mentem humanam, quam errantem aut inordinatè procedentem dirigere debet ad verum & ordinem. Dirigens n. in quantum dirigens, præstantius directo.* Prioritas, *quâ Philosophiâ est prior, in quantum jam inventa Philosophos in processu materiarum suarum dirigere debet.* Posterioritas, *quâ à Philosophis ex habitu Philosophiæ demùm inveniri & depromi debuit, adeoq; velut partus Philosophiæ & Philosophorum fuit. De quo* Zabarellam j. de N. L. c. 12. *V.* Dissentaneæ affectiones *sunt, quæ cum naturâ ejus dissentiunt, Ut* Diversitas,

cas, *quâ partim à Philosophiâ, (quod negant Ramei*, Vide Slut. syn. c.3. t.4.5. Reg. q. 6. d. N. L.) *partim à Metaphysicâ, (quod negant iidem*, V. Dn. Scheibler. l. 1. Meta. c. 1. n. 161. *& cum illis* Dn. Hesselbeinius c. l. cap. 5. q. 2.) *partim à Poëticâ & Rhetoricâ, (quod negat* Zabarella c. l. l. 2. c. 16. 10.) *realiter differt.* Vide Keckermannum c. l. tr. 3. c. 2. q. 9. Timpler. c. l. q. 10. *Et* Oppositio: *quæ* vel in defectu, Ut ἀλογία, *qualis in infantibus, Anabaptistis, ignorantiæ fratribus, & Crescentio quodam Grammatico, Augustini adversario, qui negabat cum Augustino disputandum esse, eò quod esset dialecticus*, apud Keckerman. c. l. cap. 3. Vel excessu: *Vt nimia Logicæ sectatio, abusio, detorsio, sophisticatio. Vt si nimis rigidè forma Syllogistica crepetur cum Jesuitis, aut merè mystica incompetentibus terminis Logicis vi admoveantur cum Photinianis.* V. Cl. J. M. l. 2. d. 3. Eloh. c. 43. 44. 51. *De his plura aliàs.*

Auctarium.

Historia sanati paralytici ex nupero Evangelio, Matt. 9. v. 2. 3. *non contigit post reditum Christi à Gergesenis, ut ex Matthæo quidem connexio sequi videtur, & fide nimis Postillatoriâ in explicatione Evangelii deduci solet, sed diu ante illum, post primam prædicationem Christi in Galilæâ*, Marc. 1. v. 39. *Inter cujus miracula & hoc sanati paralytici secutum est, ut ex* Marco c. 2. v. 1. 2. 3. *Vbi v. 1. connexio gestorum per voces iterùm, & post aliquot dies, manifesta est, Et* Lucâ c. 4. v. 44. c. 5. v. 12. 18. seq. *patet, qui verum ejus ordinem assignant, à quib. ille hactenus est desumendus. Iter Christi ad Gadarenos, & ab his transfretatio longè post contigerunt, & cum historiâ resuscitatæ Jairi filiæ nexa sunt, Vt ex* Marco c. 5. v. 21. & Lucâ c. 8. v. 37. 41. *qui vero ordini historiarum his insistunt, videri potest. Plura in discursu.*

H NICOLAI
OPERA.
TOMUS II.